

---

† R. P. Gulielmus Platte (1879-1945)

*(Prov. Germ. Inf.)*



Iam in praecedenti necrologio Patris Droege nominatur initio etiam Gulielmus Platte; is enim eodem a. 1879, festo Immaculatae Virginis, in eodem pago Helden in lucem editus, postridie ex aqua et Spiritu Sancto renatus, Dominica in Albis a. 1892 pane eucharistico prima vice reffectus, vere anni 1894 in eundem iuvenatum Vaals ingressus est.

Pater Gulielmi, homunculus vix 50 kilogrammatum, non modo multorum agrorum, sed etiam cauponae possessor erat, quam plurimi frequentabant etiam ideo, ut a « Platten Peiter », deversorii domino adeo faceto, novas (vel antiquas) historiunculas audirent. Mater, cui nomen Elisabeth Belke, etiam externe erat « mulier fortis ».

---

Ex hoc matrimonio vere christiano prodiere duo sacerdotes, unus Redemptorista et alter presbyter saecularis (1). Tertius filius Iosephus nomen dedit Congregationi Ottiliensis O.S.B. pro Missionibus exteris qua Frater conversus et in Africa praemature occubuit (2).

Gulielmo nostro in Collegium Iosephinum Vaals intraturo parochus-decanus Henricus Sauer hoc dedit testimonium scriptum: « Est bonus filius parentum optimorum, quibus sua obedientia morumque integritate non attulit nisi gaudium, sicut etiam magistris sua discendi cupidine ac vita omni laude digna ».

Placido cursu Gulielmus perfecit iuvenatum, novitiatum, studentatum. Tempore sui novitiatus a. 1901 Provincia Germ. Inf. domum Epternacensem genere cessit Vice-Provinciae Alsatae-Lotharingiae suosque tirones in domo Luxemburgensi posuit. In tali mille rerum translatione novaque collocatione etiam piorum novitiorum requirebatur opera, quam Fr. Platte pro suo sensu practico suoque altruismo non solum libenter, sed etiam optime praestitit. Idem valet de laboriosis initiis collegii Geistingensis.

Cum P. Provincialis Ioannes Spoo sacerdotalem clericorum ordinationem usque ad finem studiorum distulisset, P. Platte cum suis commilitonibus ad metam inde ab infantia desideratam non pervenit nisi 10-VIII-1907. Novus autem Provinciae Superior P. Adolfus Brors (3) recens ordinatis concessit privilegium eousque in Provincia ignotum, ut scilicet in propria paroecia sollemne Sacrum litare possent. P. Platte hanc « primitiarum » Missam in Helden cantavit Kalendis Septembribus, festo Angelorum Custodum, et confratri P. Henze, iam a tribus annis sacerdotio aucto, licuit in ea diaconi et concionatoris partes agere. Quem aspectum novellus sacerdos tunc praebuerit, ostendit effigies supra apposita.

---

(1) Caspar Platte, per aliquot annos ipse quoque iuvenatus Vaalsensis alumnus, erat optimus sacerdos, simul tamen incredibiliter facetus. Ad delectandos confratres hic sequens factum historicum narrare liceat. Casparis « Perpetua », soror Maria natu maior (hodie venerabilis matrona amplius 85 annorum, adhuc corpore et spiritu vegeta) quondam per aliquot dies afuerat ad peragenda in solitudine exercitia spiritualia. Ei domum redeuntj occurrit frater parochus, manu tenens cereum accensum ac vultu serio pronuntians concionem plane personalem: « Gaudeo, dilecta soror, de tua conversione et spero me eius effecta visurum esse usque ad finem dierum meorum etc. »! De nostro P. Gulielmo soror nobis 16-XII-1951 scripsit: « Gulielmus nobis valde carus erat; ipse enim erat magnus fratrum sororumque amator, praesertim mei, postquam Caspar morte adeo praematura mihi nobisque ereptus est. Sed fiat voluntas Dei! ».

(2) Liceat hic addere, quod ex paroecia Helden, olim 2500, nunc 1300 animarum, a. 1932 vivebant 25 sacerdotes, sive saeculares sive religiosi, 3 Fratres laici, 47 Moniales vel Sorores. Ad hanc vocationum sacrarum copiam probabiliter iam ante 100 annos contribuere conciones vicarii *Ioannis Pulte*, sacerdotis optimi, qui illis annis 1844-1856 non cessabat repetere: « Matrimonium inire bonum est, sed matrimonio praeferre virginitatem melius! ». Hodie concionatores potius loquuntur de pretio status matrimonialis. Cf. C. HENZE, *Predigen wir genug über Jungfräulichkeit und Ehelosigkeit?* in « Theol.-prakt. Quartalschrift » (Linz) 1950, p. 243 s.

(3) De eo vide *Analecta* 1951, p. 137-139.

Primum et satis diuturnum suae activitatis campum invenit in iuvenatu Vaals. P. Platte erat egregius Lector, utpote auctorum classicorum Vergilii, Horatii, Homeri, Demosthenis... peritissimus. Simul erat bibliothecarius admodum diligens simulque parsimoniae intentus, notissimus apud bibliopolas et bibliothecas vicinae urbis Aquisgranensis. In ecclesia non erat quidem concionator « primi meriti », licet pulcherrima voce praeditus, nam inter tot alias curas numquam reperiebat tempus perfecte sese praeparandi; verum eius confessionale erat valde a poenitentibus quaesitum. In communitate cunctis erat carissimus (id quod mansit per totam eius vitam); omnes quippe per experientiam sciebant eum non sua quaerere sed confratrum eumque inveniebant semper ad omne servitium paratum. Huc accedit quod a patre matreque hereditate receperat facetum dicendi genus ac temperamentum non melancholicum, ut P. Droege, sed festivum. Propterea etiam extra claustra plurimos habebat amicos.

Id magnae fuit utilitatis, cum a. 1920 Provincia Bonnae ad Rhenum pro suo Seminario minore vastum aedificium *Sankt Joseph an der Höhe* cum agrorum armentorumque copia acquisivit (1) et Patri Platte ibi officium Ministri seu Oeconomi commissum est. Labor improbus ei tunc exantlandus eo maior erat, quod non possidebat, ut alii, donum « delegandi », sed ipse solus fere omnia perficere volebat. Liberabatur quidem lectoratu, sed restabat tantum laboris onus, ut vires eius physicae tandem quasi succumberent. Itaque in nominationibus a. 1924 transfertur ad communitatem Trevirensis.

Probabiliter Superiores cogitabant potius de ministerio illius « ecclesiae confessionum » (2); quandoquidem non est negotium facile, si Pater 45 annos natus, qui eousque semper domi se sacrificavit ut lector et oeconomus, rem plane novam addiscere debet, nempe ministerium missionale, insuper absque praeparatione secundi novitiatus. Attamen in Patre Platte denuo comprobata sunt verba S. Augustini: « Ubi amatur, non laboratur; vel labor ipse amatur ». Cum enim sincere amaret divinum Redemptorem et animas eius sanguine redemptas, brevi evasit missionarius sat bonus (non acceperat quidem donum eloquentiae valde eximium, nec loquelam facile fluentem), cuius conciones et conferentiae adeo perspicuae et sale conditae libenter audiebantur a fidelibus et religiosis; in novo autem missionum genere « *Haus- und Kapellenmissionen* », de quo *Analecta* ante ultimum bellum saepe scripsere (3), operarius factus est eximius propter suum ardentem zelum, ad laboriosas visitationes domesticas necessarium, et ob donum conversandi facile cum hominibus cuiusvis generis. Sic oves haud paucas, quae perierant, ad bonum Pastorem reduxit.

Triennio 1930-1933 fuit Luxemburgi Rector, deinde Bochumiensis Rectoris P. Gulielmi Brinkmann Admonitor. Eo tempore maximam suae vitae tribulationem expertus est, cum suo Rectore ob notos processus pecuniarios a nazismo

(1) Cf. *Analecta* IX (1930), 253 ss.

(2) Vide supra, 1951, p. 165.

(3) Vide v.g. IV, 208-212; V, 268-270; VII, 20-22; 201-203; 209-213; VIII, 153-155; IX, 22-27; X, 22-27; 160-162 etc.

contra religiosos intentatos libertate diu privatus (1). Tandem 25-VII-1937, ergo post biennium, suo P. Provinciali gaudens scribere potuit: « Laqueus contritus est, et ego liberatus sum! ». Reliquos vitae annos transegit in Germania orientali: Berolini, Wratislaviae, Glogoviae, ubique idem bonus P. Platte, *dilectus Deo et hominibus* (cf. Eccli. 45, 1).

Vitae finis vere tragicus ita narratur a teste omni exceptione maiore, R. P. *Waltero Becksmann*, qui tunc Glogoviensi communitati praeerat (2).

Die 13 Febr. 1945 inter examen particulare Glogoviae tantus tormentorum bellicorum fragor audiebatur, ut communitas prima vice ad prandendum se ad hypogeum subterraneum conferret. P. Platte tamen, ut erat animo valde intrepido, hos confratrum timores censere videbatur exaggeratos. Post prandium statim ivit ad contabulationem superiorem, ut ex suo cubiculo versus orientem specularetur; nostra enim domus in extremo occidente civitatis est. Post aliquot minuta venit ad P. Rectorem dicens: « Veni, quaeso! Russi iam urbem ingressi videntur ». Tum ei monstravit, stans ante fenestram clausam sui cubiculi, densum fumum in regione inter meridiem et ortum solis ascendentem. Conspiciebantur quoque milites Germani e suis castris ab Hindenburg denominatis et ex adverso nostri collegii sitis exire, unus post alterum, versus occidentem.

Extemplo P. Platte: « Auferam », inquit, « SS. Sacramentum e sacello domestico in locum subterraneum iam paratum et magis tutum ». Ex ecclesia publica Venerabile Sacramentum iam pridie sublatum fuerat.

P. Becksmann, qui ad fenestram clausam in cubiculo Patris Platte remanserat, inopinato se sensit strictim, at violenter tactum in gena dextera, et mox vidit e sanguine profluente se fuisse vulneratum per *Streifschuss*, qui vocatur. Properavit igitur ad suum cubiculum, faciem lavaturus, et cum e cubiculo egrediens videret Patrem Platte ex hypogeo ad suum cubiculum redeuntem, eum monuit, ut sibi attenderet; per fenestram enim missilia mortifera iactari et sese iam strictim vulneratum esse. Proh dolor! bonus confrater haec aut non intellexit aut saltem non curavit. Nihil dicens nihilque quaerens ad suum cubiculum ivit. Ibi proculdubio denuo ad fenestram se collocavit, atque ab aliquo milite SS, publicae securitatis ministro, e quadam domo viae *Herrendorferstrasse*, 200-300 m. distante, visus atque statim ignea glande petitus et ad mortem vulneratus est.

Fr. Balthasar, audita voce auxilium efflagitante, clamavit voce magna: « Venite auxilio Patri Rectori! ». Is vero: « Non egomet egeo auxilio », inquit, « sed curre ad Patrem Platte! ». Fr. Balthasar igitur aperuit eius portam et cum terrore conspexit confratrem humi iacentem in suo sanguine et conscientia iam orbatum. Missile transversum perforarat eius pectus dexterum, inde exierat, et postea inventus est iacens in pavimento. P. Rector miserando confratri, qui etiamnum leviter spirare videbatur, dedit absolutionem sacramentalem et extremam unctionem. Brevi post de obitu non iam restabat dubium. Erat hora 13.30.

(1) Vide supra p. 8.

(2) Iuxta hanc relationem authenticam corrigenda et complenda sunt ea quae leguntur in H. TRITZ, *Rundbriefe* 1941-1945, p. 85.

Vespere eiusdem diei 7 vel 8 milites Germani venerunt ad nos, quaerentes in locis subterraneis « milites Russos absconditos ». P. Rector interrogavit eos, nonne etiam Patrem occisum videre vellent. Id negarunt, et globulum sibi a P. Becksmann ostensum affirmarunt esse globulum Russicum, sed eum restituere noluerunt. Sapienti sat! In urbe postea sparsus est rumor Patrem Platte occisum esse utpote Russorum emissarium! Sic dilectus confrater a suis civibus absque ulla causa necatus est.

Ad sepeliendum corpus illis diebus criticis ne sueta quidem arca sepulcralis haberi poterat; quare cadaver positum est in parvo armario militari et summo mane dei 15 Februarii tumulatum prope presbyterium ecclesiae. Inde exeunte Junio a. 1947 translatum ad coemeterium publicum, ubi iam quiescebat conditor domus Glogaviensis, R. P. *Henricus Gluchnik* (mortuus Glogaviae 17.7.1941). Erat vesper sabbati. Postridie coram multis fidelibus, qui remanserant in urbe, facta est sollemnis utriusque sepulcri benedictio. Duas cruces e ligno quercino ipse P. Becksmann confecerat et pie posuit in his sepulcris.

P. Provincialis Ios. Flesch, familiae tristem transmittens nuntium, hoc de defuncto iudicium addit: « Amittimus in Patre Platte confratrem exemplarem, sacerdotem animarumque curatorem eximium zeloque plenum, et optimo iure speramus eum in vera patria pro mercede iam recepisse vitam aeternam ». Have, pia anima!